

rum (ut ille ait) justificatur. Ut autem clarius pateat quibus renebis sit involutus Lutherus, percontari oportet ab eo, quid per absolutum intelligat. Aut enim intelligit eam super quem sacerdos dixerit verba absolutionis, aut eum qui iam liber est à reatu gehennæ, & solutus est à nexibus peccatorum. Si eum dicat absolutum super quem sacerdos dixerit verba absolutionis, falsum est quod ait illum esse absolutum. Nam possibile est ut aliquis in proposito peccandi existens, super quem sacerdos verba absolutionis dixerit, credat se absolutum, quoniam credit verba absolutionis dicta super illum, quis tamen diceret hunc esse justificatum? Similiter possibile est ut sacerdos aliquis erraret in forma absolutionis, ut videlicet non tenuerit formam ullam, sed solum diceret aliquid aliud huius negotio impertinens, & tamen penitens confessus credat sacerdotem vera absolutionis verba dixisse, eo quod non intellexerit quid sacerdos dixerit, tunc ille penitens credit se absolutum, quia credit verba absolutionis super eum fuisse dicta, nec tamen est vere (juxta dictam interpretationem) absolutus, quoniam talia absolutionis verba non fuerunt super eum dicta. Si autem eum dicat Lutherus absolutum, qui ultra absolutionis verba quæ super se dicta recepit, liber est à nexibus peccatorum: tunc assertionis ejus talis erit sensus, ut videlicet ille sit absolutus, id est, à peccato liber, qui credit se esse à peccato liberatum. Qui etiam sensus convincitur esse falsus, per id quod Paulus ait: (1. Cor. 4.) *Nihil mihi conficiunt, sed neque in hoc justificatus sum.* Non enim ex eo quod aliquis credit se esse sine peccato, deo oportet ut sit sine peccato.

Fortè Lutherus dicit talem esse fæ assertionis sensum, ut videlicet dicat quod ille sit absolutus, id est, à peccato liber, qui credit se esse absolutum, id est, qui credit vera absolutionis verba super eum dicta fuisse. Hæc autem assertio sic intellecta quam sit falsa, aperte ostendamus; quoniam est demum Lutherus solam fidem justificare, de ea erat capiendum, quæ à quolibet fideli exigitur, sine qua impossibile est placere Deo, ut est de his quæ Christus docuit. At circa absolutionem non exigitur penitentia ut credat sacerdotem dixisse verba absolutionis, quoniam ea res in toto facto sacerdotis consistit, qui errare potuit: sed id exigitur à penitente, ut credat verba absolutionis à sacerdote prolata vim habere à Christo talem, ut peccatorem à peccato solvant. Quapropter etiam si daremus Lutherus primum quod proponit, videlicet solam fidem justificare: solum inde colligere licet penitentiam absolutum, cum crederet sacerdotem talem habere potestatem, ut verbis absolutionis ab eo prolatis, penitentem absolvat. Quod si aliquis ideo dicendus esset absolutus, id est, à peccato liber, quia credit se esse absolutum, id est, verba absolutionis super eum dicta, sequeretur inde eum qui haberet in voto peccatum, esse liberum à peccato, si verba absolutionis super eam dicat sacerdos. Nam talis quamvis proponat se in posterum peccaturum, bene tamen credit se esse absolutum (juxta præfatam interpretationem) quia credit sacerdotem super eum dixisse verba absolutionis. Verba ergo Lutheri ut aliquam habeant apparentiam, sic accipienda sunt. Is vere est absolutus, id est, à peccato liber qui credit se esse absolutum, id est, qui credit talem potestatem in sacerdote, ut verbis absolutionis ab eo super penitentem prolatis penitens ipse habeat absolutum, ita scilicet ut penitens utrumque cre-

dat, videlicet sacerdotem dixisse absolutionis verba super eum, & credat ut illis dictis à sacerdote supra penitentem, penitens sit absolutus. Et de hac fide dicit quod ea sola justificat. Ut autem hoc manifeste falsum esse appareat, considerare oportet, quod prius sacerdos verba absolutionis profert, quam penitens credat se esse absolutum. Nam si verbis nondum finitis crederet se esse absolutum, falso crederet, quoniam nondum absolutus est. Nisi forte Lutherus tantum credulitati penitentis arroget, ut in universum verbis absolutionis à sacerdote prolatis deroger. Quod si Lutherus dixerit totam absolutionis vim ex sola penitentis credulitate pendere, fateatur necesse est, ut is apud eum absolutus dicatur, qui credit se absolutum, etiam si nulla verba super eum dicta sint, atque ita verba illa omnino superfluent, & frustra dicerentur. Quod si non frustra dicuntur, & aliquid in penitente operantur, tunc queramus quid operantur. Si justificationem, aut absolutionem, falsum est ergo quod sola fides justificat, ut Lutherus dixit, immo nunquam esse possibile fidem justificare: quoniam is qui credit se esse absolutum, aut vere credit, aut falso. Si falso credit, ergo non est absolutus, quia non ita est ut credebat: credebat autem se esse absolutum, non est ergo absolutus. Si autem vere credit se esse absolutum, quam prius verba absolutionis dicantur: & postea penitens credulitas succedat, petam ab eo quando hic penitens fuit absolutus, utrum finis verbis absolutionis antequam credulitas accedat, an post adhibitam penitentem fidem. Si tunc est absolutus quando verba finiuntur antequam fides accedat, clarum est penitentem tunc non justificari per fidem, sed per sola verba absolutionis. Si vero tunc est absolutus quando verbis absolutionis jam prolatis fides penitentis accedit, qua credit se esse absolutum: tunc peto à Lutherus quid talis penitens credit, quando dicit illum ex sua credulitate fuisse absolutum. Aut enim solum credit ipsum fuisse absolutum, id est, verba absolutionis super ipsum fuisse dicta, & hoc nihil est, neque hanc credulitatem sufficere ut quis justificetur, jam clare ostendimus. Aut credit quod finitis absolutionis verbis fuerit absolutus à peccato, & tunc falso credit, quoniam (ut dicit) nondum est absolutus finis finitis absolutionis verbis, quousque fides accedat, ergo cum credit se jam fuisse absolutum, falso credit. At per falsam fidem nemo justificatur. Si autem credit se absolvi per suam fidem, oportet dicere quod tunc sit absolutus quando credit se fuisse absolutum per suam fidem, ergo ut quis dicatur quod credit se esse absolutum, opus est fide quadam reflexa, ut videlicet credat sacerdotem dixisse verba, eumque habere potestatem à Deo sibi collatam: & deinde iterum credat per priorem fidem quam habuit, se fuisse absolutum. Nec antea umquam poterit dici quod credit se absolutum. Non est enim possibile, immo nec intelligibile, ut per eandem fidem per quam aliquis absolvetur, & justificatur, per eandem credat se jam fuisse absolutum. Quod si est alia fides per quam absolvetur, & alia per quam credit se esse absolutum, falsum esse etiam oportet quod dicit, ut videlicet is solum sit absolutus, qui credit se esse absolutum: quia si per priorem fidem absolvetur, etiam si secunda fides non accedat, nihil hominis erit absolutus. Attende bene obsecro, lector, & diligenter circumspecte hæc omnia, & clare videbis quantis se tenebris Lutherus involvat, & quibus sit laqueis implicitus, ita ut explicari eum sit impossibile.

Demum ut huius negotio finem imponamus, inter assertiones Lutheri condemnandas à Leone decimo, hæc de qua hucusque disputavimus, una est. Deinde Concilium Tridentinum sessione quarta celebrata sub Julio tertio, canone nono, hanc sententiam Lutheri damnavit, sic dicens: „Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicalem, sed tantum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata contenti: modo tantum credat se esse absolutum, etiam si sacerdos non serio sed joco absolvat, aut dixerit non requiri confessionem penitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit, anathema sit.“ Hactenus Concilium Tridentinum. Contra hunc Lutheri errorem scripsit Joannes Rossensis Episcopus, vir doctus simul atque religiosus, in eo libro quem contra omnes articulos Lutheri composuit. Scripsit etiam longius Jacobus Latomus in ea assertionem quam composuit damnationis factæ ab Universitate Lovaniensi super articulis Lutheri. Alium autem vidi neminem qui de hac re tractaverit, quamvis plures legerim qui contra Martinum Lutherum scripserunt.

Secunda de hac re hæresis est quæ dicit puerum, ac mulierem æque absolvere ut Papam. Hujus hæresis auctor Martinus Lutherus, is de quo nunc proxime rationem dedimus: Ut autem clarius ejus insana mens appareat, verba ejus referat, & sunt quæ sequuntur: in Sacramento penitentiae, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, Episcopus, quam infimus sacerdos, immo ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam si mulier, aut puer esset. Hæc Lutherus. His verbis duo miscet Lutherus. Primo quidem dicit in penitentiae absolutione omnes sacerdotes esse pares, ita scilicet ut omnes sacerdotes parem absolventi potestatem habeant. Secundo dicit omnes Christianos posse absolvere, etiam si foemina sit. Primum istorum si recte intelligatur, illi concedimus, videlicet omnes sacerdotes quantum ab absolutionem culpæ parem habere potestatem. Cum enim juxta Augustinum impium sit à Deo dimidiata sperare veniam, nunquam est dicendum quod aliquis sit absolutus ab uno peccato, & non ab alio. Quapropter oportet fateri sacerdotem qui penitentem absolvit absolvere ab omnibus, aut à nullo. Et ita quando absolvit simplex sacerdos, tantum absolvit de culpa sicut Papa. Non est enim imaginandum quod majorem partem culpæ deleat Papa per suam absolutionem, & minorem partem deleat infimus sacerdos, sed uterque eorum à tota culpa absolvit, aut penitus non absolvit. Quod autem adducit de casibus reservatis, à quibus infimus sacerdos absolvere non potest, nullo modo tollit nostrum propositum, quia quod non absolvat, non est ex defectu potestatis, sed ex defectu jurisdictionis, quia videlicet penitens non est illi subiectus, quod maxime requiritur ad hoc ut sacerdotis sententia super eum lata sit valida. Sententia siquidem à non suo iudice lata, nulla est. Papa ergo latorem habet potestatem quam infimus sacerdos, quia plures habet subditos quam infimus sacerdos. Infimus autem sacerdos circa suum subditum, si plene illi subditum, parem habet absolventi potestatem cum Papa, quia æque à tota absolvit culpam, sicut Papa. At non sic de peccata ultra absolutionem, & de peccata quæ restant persolvenda, potest Papa, vel partem, vel totam relaxare, sicut circumstantia se offert. Infimus autem sacerdos, ultra absolutionem à culpa nunquam propria auctoritate po-

test in universum à peccata absolvere. De paritate sacerdotum quantum ad absolutionem culpæ, hæc dixisse sufficit. Jam opus est ut de reliquo disputemus quod Lutherus ait, quemlibet Christianum etiam si mulier, aut puer esset in absentia sacerdotis æque bene absolvere, sicut quilibet sacerdos. Hæc autem ejus assertio ex prima hæresi quam de hac materia narravimus, atque oppugnavimus, fluit. Superius namque diximus Lutherum sentire totam vim ad culpam delendam, ascribendam esse fidei credentis, & nullo pacto ministro. Quapropter ex isto fonte colligit & etiam si mulier, aut puer hæc verba proferat, peccator hæc audiens, & credens, statim absolutus est. Ut autem clarissime convincamus hoc esse falsum, atque hæreticum, percontari oportet à Lutherus, an si penitens audierit à Pfitacco illa verba absolutionis, utrum Pfitaccus absolvet, & penitens esset absolutus. Si dicat Pfitaccus absolvet, quid absurdum dici potest, & magis impium? Sin vero neget Pfitaccus absolvet quamvis dicat verba absolutionis, oportet eum fateri aliquam esse potestatem in ministro proferente verba, qua deficient in prolatore verborum, nihil sit. Nam si nulla esset in ministro virtus, aut potestas, nihil profus referret quis esset prolator verborum, modo verba integrè proferret. Hæc autem quam sunt absurda, nullus est qui non videat. Quod si potestas necessario exigitur in ministro prolationis, & hanc constat non fuisse à Christo collatam mulieri, convincitur inde mulierem non posse absolvere. Verum hic scio Lutherum negare talem potestatem minime collatam fuisse mulieri, immo constantissime affirmat Christum illam potestatem dedisse omnibus Christianis. Hoc autem constat esse falsum, quoniam talis potestas fuit à Christo collata per illa verba quæ Christus post resurrectionem dixit Discipulis suis: (Joann. 20.) *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Cum autem Christus illa dixit, ibi non erat aliqua mulier ad quam possent illa verba spectare, sed solum erant Apostoli ad quos solum illa verba dirigebantur. Quod si Lutherus dicat potestatem illam fuisse à Deo collatam per illud quod habetur apud Matthæum: *Quicumque ligaveris super terram, erunt ligata & in celo:* etiam si hoc daremus Lutherus, eadem pro nobis militat ratio, quoniam tunc cum illa dicebantur, nulla etiam erat mulier (ut ex historia Evangelii patet) sed solum erant Apostoli, atque alii Discipuli quibus illa verba dicebantur. Unde colligere oportet, solos Christi Discipulos, eorumque successores, videlicet sacerdotes, illam potestatem à Christo accepisse. Quod si Lutherus adhuc contendat verba illa quæ solis Discipulis suis Christus dixit, ad omnes Christianos esse referenda, oportet tunc eum fateri, mulierem etiam posse consecrare Corpus Christi: quia cum Christus dixit Discipulis suis: *Hoc facite in meam commemorationem:* oporteret etiam illa verba ad omnes Christianos referre. Similiter oporteret concedere posse predicare, quia Apostolus dicitur: *Ite, predicatè Evangelium omni creatura.* Et tamen Paulus dicit se non permittere mulierem predicare. (1. Tim. 2.) Rursum ut hominem undique vallemus, hoc oportuit discutere, quod Lutherus dixit mulierem posse absolvere ubi sacerdos non est. Hæc autem dicta alteri ejusdem Lutheri assertioni maxime repugnant. Lutherus namque ait (ut infra longius differemus) omnes Christianos esse sacerdotes. Si ergo juxta Lutherum omnes Christiani sunt sacerdotes, non est certe possibile ut mulier sit ubi sacerdos non est.

genes, non oportet longam enarrare historiam, cum nomen illius adeo celebre sit, ut toti pene orbi innotescat, quapropter de eo tacendum censui. Qui autem ejus gesta ad plenum nosse cupit, legat Eusebium Cæsariensem in Ecclesiastica historia lib. 6. quem fere integrum in hac consumit narratione. An autem propter hunc & alios errores, de quibus suis locis dicitur, censendus sit hereticus, an non, longa ab aliquibus textur quaestio. Rufinus siquidem adversus Hieronymum pro Origene olim egit causam. Joannes Hierosolymitanus Episcopus contra Epiphanium Salaminae urbis in Cypro Episcopum Originem tuebatur. Extat etiam Pamphili martyris (modo titulus verus sit) pro Origene apologia, quam Rufinus presbyter latinam fecit. Denique Joannes Picus Mirandulanae, vir non minus pius quam doctus & eloquens, inter multas conclusiones quas disputandas ac defendendas Romae suscepit tempore Innocentii Papæ hujus nominis Octavi, hanc unam miscuit: Magis pius est credere Originem fuisse saluum, quam damnatum. Quam conclusionem cum aliqui velut hereticam cum aliis duodecim explodere vellent: pro hujus & aliarum duodecim defensionem luculentam composuit apologiam. Post tot illustres viros ego nihil definire audeo, quoniam id temerarium esset, maxime cum res sit valde dubia. Illud tamen dicam me scilicet de Origene & de cæteris quibuscumque id sentire, quod scivero Catholicam Ecclesiam sentire. Cum ergo jam de persona dictum sit, superest ut de errore discutiamus. In primis illud mihi dubium est, an Origenes senserit hominem per peccatum aliquid de sua substantia perdidisse, an solum qualitates animæ aliquas, vel, ut sub aliis verbis dicam, an imaginem perdidit, an solum similitudinem. Nam Victorinus Afer, à quo Hieronymus Rhetoricam didicisse fertur, in ea disputatione quam adversus Arrium scripsit lib. 1. differens illud Genes. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sic ait: Aliud igitur est juxta imaginem esse, quod quidem substantia est: aliud autem juxta similitudinem esse quod non est substantia, sed in substantia nomen qualitatibus declarativum. Sed sicuti Deum, sic & imaginem, hoc est Christum substantiam accepimus, perfectionem autem juxta quale significativum intelligimus: & si simile quale significat necessario, quomodo dicimus animam rationalem esse, & perfecte rationalem juxta similitudinem perfectionis in Deo? Perfectam ergo esse animam juxta imaginem, nunc, & in mundo: juxta similitudinem autem, postea fide in Deum & in Jesum Christum, qualis esset futura si Adam non peccasset. In quo igitur rationalis est, ad rationem juxta imaginem est, in quo futura perfecta est secundum similitudinem. Hæc Victorinus. Ex quibus verbis patet, secundum eum imaginem maxime distare à similitudine, Adamque similitudinem perdidisse, non autem imaginem. Hanc eandem imaginis & similitudinis differentiam assignat Eucherius Lugdunensis Episcopus, vir certe non minus doctrinam quam sanctitate clarus, qui lib. 1. super Genes. exponens eundem scripturæ locum, sic ait: Inter similitudinem & imaginem hoc interest: Imago Dei, omnium: similitudo, paucorum. Hæc namque imago Dei ab excellentia divine similitudinis distat, quod imago Dei anima peccatrix esse non definit: ad Dei autem similitudinem, nisi anima sancta fuerit, non pervenit: quia illa anima creata est per naturam, hæc dabatur consummari per gratiam: quoniam si nihil aliud est imago Dei, quam mens naturaliter animæ humanæ collata, quid aliud erit similitudo, nisi

felicitas beatitudo conferenda? Et ideo quidem est magnum quod hominis mens facta ad imaginem data sit in natura, cujus privilegio carent animalia cætera: sed illud est multo præstantius, quod ei similitudo danda sit sui creatoris in gloria, ut ibi sit suo creatori similis, ubi erit sanctis Angelis æqualis. Hæc Eucherius. Si ergo Origenes dicat Adam post peccatum perdidisse Dei imaginem, accepto imaginis nomine juxta eam quam prædiximus significationem, ut imago in natura consistat, manifestus est error, justequè eum ob hanc causam accusat Epiphanius: quoniam de demonibus, quorum peccatum multo fuit gravius, dicit beatus Dionysius Areopagita, naturalia in eis manifeste integra: quanto magis id factum esse in homine putandum est? Rursus, si peccatum aliquid subtraheret de natura, crebrescentibus peccatis tandem aliquando ipsa peccata totam animam consumerent naturam, quod nefas est dicere. Testimonia scripturæ quæ pro hæc re Epiphanius adducit, mihi parum videntur ipsius propositum roborare, quamvis ille jactet se pro tribus testimoniis, quæ Joannes Hierosolymitanus petebat, septem testimonia protulisse: quoniam omnia testimonia quæ ex scriptura ille citat, præter unum & alterum, solum probant hominem primo ad imaginem Dei factum aut conditum: quod autem post peccatum in ipsa permanferit imagine, hoc nunquam exprimit præter unum ex Apostolo Paulo, & aliud ex Psalmis, quæ etiam forte non convincunt, quamvis vehementer persuadeant. Testimonia autem ejus hæc sunt. (*Genes. 5.*) In Genesi legitur: *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.* Hoc testimonium nihil conferre proposito, est adeo apertum, ut non sit opus retellere: quoniam ibi dicitur Seth fuisse genitum ad imaginem & similitudinem Adæ, non autem ad imaginem & similitudinem Dei. Neque etiam Adam juxta similitudinem Dei filium gignere poterat, retenta illa quam supra posuimus similitudinis significatione. Secundum testimonium est ex libro eodem, cap. 9. sic dicens: *Ne comederitis carnem: ego enim ulciscar sanguinem vestrum de manu omnis hominis effundentis illum, quia ad imaginem Dei feci hominem.* Ex hac auctoritate nihil aperte convincitur, nisi hominem ad imaginem Dei factum, non autem in ea perseverasse. Idem etiam penitus sonat testimonium ex sapientia Salomonis cap. 2. *Creavit Deus hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis suæ creavit eum.* Neque aliud etiam probat testimonium ex epistola beati Jacobi cap. 3. dicentis: *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero: in ipsa benedicimus Deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt.* Quod autem hæc auctoritas homines dixit, non hominem, videtur ex illa colligi, non solum Adam, sed cæteros homines post peccatum genitos, factos ad similitudinem Dei. Cui responderi posset, alios homines tunc dici esse factos, quia tunc ille plasmatus est, à quo omnes erant deducendi. Neque hunc modum loquendi horret sacræ litteræ. Nam in Genesi cap. 2. legitur post perfectam mundi fabricam secundum specierum & formarum diversitatem: *Hæc sunt generationes quas fecit Dominus in die quo creavit Deus cælum & terram.* Tunc enim omnes generationes factas esse asserit scriptura, cum tamen postea per dierum volumina & successus factas esse referat, quasdam primo die, aliquas secundo, & sic usque ad septimum diem. Dicuntur tamen omnes creaturæ factæ in die quo creavit Deus cælum & terram, quia illo die facta est universalis massa ex

qua

qua omnes corporeæ substantiæ derivatæ sunt. Ad quem modum posset etiam dici, quamvis aliquantulo coactius, omnes homines tunc dici esse factos, quando Adam factus est: nam tunc sicut ipsum Adam, sic etiam cæteros omnes ad imaginem Dei factos esse. Illud autem Psalm. 38. *In imagine transtulit homo, sed & frustra conturbatur, atque illud Pauli in prima ad Corinth. epistol. cap. 9. Vir non debet velari caput, quia imago & gloria Dei est: hæc duo magis urgent, quoniam non solum ad primum hominem referri quovis modo possunt, sed de quocumque homine dicta esse constat. Verum imaginis nomen non semper scriptura capit juxta eam differentiam quam supra posuimus, ita ut imago semper tribuatur nude nature: sed aliquando juxta animæ qualitates: ut patet in epistol. ad Coloss. cap. 3. *Expoliantes vos, inquit Paulus, veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Ex quo loco manifeste patet hæc esse datam à Paulo differentiam inter veterem & novum hominem, ut verus homo qui ad peccatum pertinet, non habeat imaginem Dei, quia scilicet bonitatis caret, novus autem homo, qui ad gratiam per Christum recuperat pertinet, gerat Dei imaginem. Juxta quod oportet ut ibi imago non solum consistat in nuda animæ substantia, sed in gratia etiam, per quam homo deiformis fiat. Et B. Ambro. super epistol. Pauli, (1. Cor. 15.) exponens hunc locum ex epistola ad Coloss. proxime citatum, sic ait: „Imago, hæc in conversatione bonæ vitæ intelligenda est, sicut dicit ad Corinth. in epistol. 1. *Quemadmodum portavimus imaginem ejus qui de terra est, ita & portemus imaginem illius qui de cælo est.* Ipse est ergo creator hominis, cujus imaginem portare nos jubet in sanctitate & bonis operibus, quæ de filii Dei agnitione descendunt, dir. Hæc Ambrosius. Ex quibus manifeste colligitur, imaginis nomen non solum capi in litteris sacræ juxta id quod in natura situm est, quod etiam nunquam perditur, sed aliquando etiam capi juxta quasdam animæ qualitates. Quod si forte ita Origenes cepit imaginis nomen, ut imaginem pro similitudine usurpaverit: quis non videt ibi nullam esse hæresis suspitionem? Hæc tamen dixi, non ut quisquam putet me partes Origenis sumere velle. Nam fateor me de Origene ejusque doctrina sentire id quod sancta Mater Ecclesia sentit. Propter quod firmissime hoc assero, si Ecclesia alicubi de hac re censuit, id esse tenendum. Verum non reperio aliquem qui hoc impingat Origini præter unum Epiphanium. Nam Theophilus Alexandrinus Episcopus, qui in libro suo cui Paschalis nomen indidit, Origenis errores recenset, nullam de hoc facit mentionem. Beatus etiam Hieron. cum in pluribus locis de erroribus Origenis mentionem faciat, nusquam hujus meminit. Quod forte ideo factum puro, quod verba illa quæ Epiphanius Origini tribuit, etiam si in libris Origenis reperiretur, aliquem piæ & catholicæ patientiam sensum, quem videlicet proxime retulimus. Sunt tamen aliqui zelo, & non secundum discretionem impulsu, qui omne illud quod à sentu suo abest, statim hæresim esse clamant, qualis forte fuit Epiphanius, ut ex illa ejusdem epistola superius citata facile est cognoscere, quoniam ibi testatur se rupisse velum quoddam quod in templo reperit, hæc sola occasione, quod imaginem Christi, aut aliqujus sancti gerebat in se. Nam testatur se non meminisse cujus fuerit imago, asseritque esse contra scripturam sacram, imaginem cujuscumque hominis in Ecclesia pendere. Hoc tamen an ita se habeat, vel parum doctus potest.*

Tom. I.

test intelligere, & inferius in titulo Imago, nos amplius differemus. Sunt tamen multi, qui multa ab aliis exigunt, quæ tamen ipsi non præstant: & qui multa per indulgentiam condonant amicis, & sibi condonari volunt, qui tamen in alios duram faciunt censuram. Cum ergo Epiphanius aliqua habeat in quibus indulgentia sit opus, justum erat ut ipse etiam per indulgentiam aliqua condonaret Origini, & non semper se illi exhibere Catonem.

Tertius error in hac materia exortus est, quo docetur Adam & Evam si permanissent in justitia, non coituros unquam: nec humanam speciem per commixtionem propagandam. Hic error ab Armenis invenitur, ut testatur Guido Carmelita in sua summa de hæresibus. Nam hic est apud eum undecimus error Armenorum. Hi Armeni Asiæ incolunt, in ea parte quæ est inter Taurum & Caucasum montes sita. Horum patria Armenia dicta à Cappadocia usque ad Caspium mare protenditur. Hi Armeni cum primam catholicam fidem fuissent edocti: tandem veram fidei regulam dimittentem in multos errores prolapsi sunt. Proprium habent primatem, quem catholicum appellant: huic velut summo Pontifici obediunt. Romanam siquidem antistitem contemnunt, dicuntque eum non esse cæteris superiorem. Quo autem tempore, aut quam ob causam ab Ecclesia defecerint, mihi hucusque non est notum. Hoc certum est, tempore Philastri Brixienis Episcopi, atque tempore beati Augustini, eos ab Ecclesia nondum fuisse separatos, quoniam uterque istorum, hæresum auctores recensens, nullam de Armenis fecere mentionem: Quod autem ego ex pluribus conjicere possum, verisimile est Armenos huic ab Ecclesia separatos propter decreta Concilii Chalcedonenis sub Leone primo & Martiano Imperatore celebrati: quoniam in eo Concilio damnati sunt Eutyches Abbas Constantinopolitanus, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus illius imitator. Armeni autem his hæreticis faventes, decreta Concilii Chalcedonenis recipere contempserunt. Inter alios ergo Armenorum errores is unus est, quo asserunt Adam & Evam nunquam carnali copula jungendos, si in statu illo in quo illos Deus condidit, permanissent: humanam speciem aliter propagandam asserentes. Hunc errorem suscitavit postmodum impius Almaricus, ut testatur Bernardus de Lutsemburgo in suo catalogo hæreticorum. Nam apud alium neminem errores istius invenio. Quamvis enim in lib. Epistoliarum decretalium, titulo de summa Trinitate & fide catholica, condemnatur præfatus Almaricus cum suis erroribus, nullus tamen ibidem illius error recitatur, nec glossa ibidem aliquid addit. Is itaque Almaricus Parisiensis doctor, qui tempore Innocentii tertii fuit, ab eodem in Concilio Lateranensi damnatus, Armenis in hac parte consentit, eorumque auger insaniam: quoniam non solum in illo statu negat copulam carnalem, verum etiam sexuum differentiam nullam fuisse futuram asserit. Hoc autem ultimum adeo manifesta est insaniam, ut non sit opus eam oppugnare. Nam Genesis primo legitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, mascululum & femininam creavit eos.* Nec potest dicere illam sexus differentiam esse post peccatum, quum dicat: *mascululum & femininam creavit eos.* Hoc etiam clarus exprimitur à Christo Redemptore nostro qui apud Matth. cap. 10. ait: *Non legistis, quia qui fecit ab initio, mascululum & femininam fecit eos?* sed quoniam non dicit eos fecisse mascululum & femininam ab initio, necessarium est Marcum etiam citare, qui hæc clarus expressit dicens: *Ab initio autem*

P

crea-

eu. Vides jam lector quot laqueis seipsum Lutherus se involvit. Demum inter plures Lutheri assertiones, à Leone decimo damnatas, hæc una est, adversus quam huicque disputamus. Deinde, Concilium Tridentinum in sessione quarta sub Julio tertio celebrata, hanc sententiam Lutheri publico decreto damnavit. Nam inter multos quos in illa sessione protulit canones, decimus illorum hæc continet, verba: „ Si quis dixerit sacerdos, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere: aut non solum sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: (Joann. 20.) *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in celo: & quaecumque solveritis super terram erunt soluta & in celo.* Et quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: Quorum verborum virtute, quilibet absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem dumtaxat, si correctus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, anathema, sic. Hactenus Concilium Tridentinum. De hac re amplius disputare nolo, quoniam infra in titulo de sacerdotio hæresi prima, longius de illa agetur.

A D A M E T E V A.

DE primis humani generis parentibus, Adam scilicet, & Eva, variae olim tractatae sunt hæreses. Prima hæresis est asserens primos parentes esse damnatione perpetua in inferno detrafos propter eorum primum inobedientiam peccatum. Hujus erroris auctor fuit Tatianus quidam discipulus Justinii martyris, qui fuit temporibus Antonini Imperatoris, & Papæ Julii hujus nominis primi. Is Tatianus, donec Justinus ejus magister vixit, nihil male sentire unquam ostendit (ut testatur Eusebius Cæsariensis in Ecclesiastica Historia) postea vero quam ille martyrio vitam finivit, à veritatis tramite deviauit, & doctoris nomine ambiens, maluit magister fieri erroris, quam discipulus veritatis. Secutus est autem in multis prædecessorum hæreticorum errores, videlicet Valentini, Marcionis, Saturnini, alios etiam plures errores ex proprio cerebro eduxit. Nam & hæresis Encratarum auctorem, ac principem eum fuisse testantur Beatus Irenæus libro primo adversus hæreses, capite trigesimo, & Beatus Hieronymus in Commentariis super Prophetam Amos, & Beatus Epiphanius libro primo contra octoginta hæreses, in fine tertii Tomi. Inter cæteros igitur hujus Tatiani, & Encratarum errores unus hic est, quo asserunt Adam scilicet & Evam damnatione perpetua esse propter peccatum punitos. Cæterum ut hanc sententiam hæreticam esse convincamus, quamvis ego eam talem esse credam, tamen (ut ingenue fatear) mihi nullus sacrae scripturae locus succurrit apertus, quo id efficere valeamus: neque aliquis eorum apud quos hæc assertio tamquam hæretica recitatur, & velut talis ab eis exploditur, adfert aliquem scripturae sacrae locum apertum quo id refellat. Irenæus siquidem lib. 1. adversus hæreses cap. 31. cum propter hanc assertionem Tatianum nota hæretici inurat, nullum tamen adducit locum scripturae quo id evincat. Eusebius Cæsariensis, lib. 4. Ecclesiasticae Historiae hunc errorem impingens Tatiano, nullum pro hac re adducit scripturae sacrae testimonium. Philaster Brixienfis in eo libello quem de hæresibus edidit, Tatiani hæreses enumerans, hanc etiam illi tribuit, nec ullum pro hac re adfert

scripturae sacrae testimonium. Ad eundem modum se habet Epiphanius, qui contra Tatianum disputans, nullo illum sacrae scripturae testimonio redarguit. Beatus Augustinus in libro de Hæresibus ad Quodvuldeum, cap. 25. de Tatiano loquens, dicit illum saluti primi hominis contradicere, nullum tamen proponit scripturae testimonium, quo illum sententiam probet esse hæreticam. Omitto Guidonem Carmelitam, quoniam is, etsi adversus omnes hæreses se scribere instituat, multas tamen receperit quas nullo testimonio scripturae rejicit, sed suo tantum judicio, ad quem modum etiam hic lufit fabulam. Nam Tatianorum, & Encratarum errores differens, hunc eorum esse errorem asserit, nullo ad hoc citato scripturae sacrae loco quo id evincat, sed mittit nos ad Anselmum in lib. Cur Deus homo, & ad beatum Hieronymum in epistola ad Evagrium, in quibus nil tale reperitur, ille testatur. Propter quod credo ipsum nec legisse loca illa ad quæ nos mittit. Nam si legisset invenissetque aliquid huic proposito conducens, libentissime (ut affolet) ab illis fuisset mutuatus. Nam in refellendis aliis hæresibus ubi apertissima sunt contra illas testimonia, mirum quam molestus citator est, omnia quæ potest testimonia undelibet adducens. Hic tamen ubi maxime opus esset aliquo scripturae testimonio, ne illi videretur deesse, mittit nos ad alios. Verum etsi nulla sit pro hoc errore refellendo aperta scriptura, non ideo non est censenda talis assertio hæretica: quoniam efficacissimum est testimonium (ut longius supra differuimus) omnium sanctorum doctorum concursus de aliqua re sententia. Non enim est possibile ut omnes concorditer errent, qui ut nos non erraremus, à Deo missi sunt. Sic enim ait Paulus in ea quæ est ad Ephesios epistola, cap. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, donec occurrant omnes in unitatem fidei.* Ad quid autem eos dederit, subiungit dicens: *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrine, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Vides qualiter ex Pauli sententia dati sunt à Deo doctores, ut non circumferamur omni vento doctrine ad circumventionem erroris. Quapropter fieri nequit ut omnes concorditer errent, qui ne alii errarent, missi sunt. Omnium autem sanctorum doctorum concursus est sententia Adam fuisse salvum, fuisseque ex eorum numero quos Christus ad infernum descendens (juxta Zachariæ vaticinium) *eduxit vivos, qui erant in lacu.* Sed ne hoc gratis, & sine ulla conjectura dixisse videamur, beatus Irenæus, lib. 3. Adversus Hæreses, repetens iterum hunc Tatiani errorem, aliquas, easque elegantes adducit contra eum persuasiones, quas etsi ex aperta scriptura non colligat, optime tamen ex ea conjicit. Has ergo non dedignabor huic operi inferere: brevissime tamen: quam ille uberiores dicendi stylum naclus longius spatietur. Aliquis etiam ex meipso addam, quo res ipsa magis firmetur. Primo ergo omnium id statere oportet, genus humanum per Christum redemptum, salvatumque esse, dicente Paulo (1. Cor. 15.) *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Si ergo homo salvatur, oportet is qui primo plasmatus est homo. Non etenim æquum ut qui primo ab inimico captus est, captivus adhuc maneat liberatis filiis quos in captivitate genuerat. Si enim quispiam ab hoste captus, in captivitate generet filios, quem alius miseratus, hostem

qui

qui illum cepit, captivumque tenet, invadat, expugnetque: is qui hostem invasit, injuste faceret si filios à captivitate liberaret parentibus in captivitate manentibus, propter quos hostem invaserat. Cum ergo Adam captus teneretur à dæmone, propter quem Deus carne indurus dæmone expugnaret, non est vero simile ut filii Adam liberentur ipso parente manente captivo, propter quem dæmonem invasit, ut pro illo vindictam sumeret. Rursus: Si is qui prior factus est à Deo homo ut viveret, impletque ex eis (juxta Proph. Psal. 109.) angelicas ruinas, in ipsa perpetua mansisset morte propter serpentis læsionem, nulloque pacto revertetur ad vitam ad quam & propter quam creavit eum, jam oportet dicere Deum quodammodo victum à serpente, cum res successerit juxta serpentis nequitiam, & non juxta voluntatem Dei. Deinde si Adam morte perpetua propter peccatum punitur, qualiter Paulus morti insultat, (1. Cor. 15.) dicens: *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Quod si peccatum Adæ adhuc manet, nec expiatum est usquam, necesse est etiam ut maneat stimulus mortis: quoniam (juxta eundem Paulum) stimulus mortis peccatum est. At nullum aliud peccatum fuit mortis stimulus, quam peccatum Adæ: quoniam per illud mors intravit in orbem terrarum. Per unum hominem, inquit Paulus, mors intravit in orbem terrarum, eaque non ob aliam causam, quam propter primum ejus peccatum. Peccatum ergo Adæ stimulus fuit mortis. Si ergo Tatianus dicit peccatum Adæ manere, fateatur necesse est stimulus mortis alicubi esse. Male ergo Paulus morti insultat, eam victam esse denuntians. (Rom. 5.) Verum hæc Tatianum nihil movebunt, quoniam inter alias ejus insanas una est qua Paulo Apostolo detrahit, eum etiam dampnatum asserens, quo fit ut nullam ejus epistolam admittat. Sed de his infra longius differemus lib. 13. in titulo de scriptura sacra. Præterea non est dubitandum Deum carne indutum pro homine congressum fuisse cum dæmone, eumque vicisse, quod præter alia scripturae testimonia illud ostendit, ubi Dominus parabolice (ut affolet) loquens, (Luc. 11.) ait: *Cum fortis armatus custodiat atrium suum, in pace sunt omnia que possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.* Quia parabola manifeste suam de dæmone triumphum ostendit, quod ex præcedentibus manifeste convincitur. Nam quum à Judæis objiceretur illi quod in Beelzebub principe dæmoniorum ejecisset dæmonium illud quod erat mutum, respondit se in digito Dei, cui cuncta subsunt, ejecisse dæmonium: pro cuius confirmatione hanc assumpsit parabolam. Christus ergo dæmonem vicit, armaque illius atque spolia abstulit. Primum autem diaboli spoliū primaque ejus possessio fuit Adam, quem tenebat captivum sub sua potestate. Ut ergo victus clare agnoscatur diabolus, hæc præcipua sunt spolia quæ ab eo capiendâ sunt, propter quæ bellum tam durum commissum est. Semper enim insultaret inimicus si vetera illa spolia mansissent apud eum. Præter hæc omnia valde nostrum propositum roborat illa peccati Adæ punitio, ex qua colligi aperte potest quid illi in posterum Deus decernat: quoniam puniens Deus Adam non ita eum maledixit, ut vocaretur maledictus, quemadmodum hi qui æterno igni destinati sunt, sed terram maledixit in operibus ejus, in punitiōem illi insignens tædia, & terrenum laborem, & comedere panem in sudore vultus sui, & converti in terram, ex qua assumptus est. Similiter etiam mulier puni-

ta est per tædia, labores, gemitus, tristitias, dolores partus: hoc autem dispensative à Deo factum est, ut neque maledicti à Deo in totum perirent, neque sine punitiōe viventes Deum contemnerent. Omnis autem maledictio in serpentem pervenit, qui eos seduxerat: unde dicit Deus serpenti: (Gen. 3.) *Quoniam fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus animantibus, & ab omnibus bestis terræ.* Similiter quum postea Cain peccaret, fratrem suum occidendo, maledictionem accepit à Deo, quoniam ad se peccatum attulit, neque Deum reveritus est. Nam interrogatus à Deo ubi esset Abel frater ejus, respondit se nescire, quasi posset frustrari Deum. Et ut ipsam irreverentiam auferret, quasi cum quadam animi indignatione ait: *Numquid custos fratris mei sum ego?* In Adam nihil tale evenit. Ab altero seductus est, nempe à muliere: mulier autem à serpente. Postquam peccavit, statim timore ac tremore concutitur, absconditurque, non ut credat se posse frustrari Deum, sed mente confusus, præ rubore & verecundia mali commissi, non audent venire in conspectum & in colloquium ejus. *Initium autem sapientia timor Domini.* (Psal. 110.) Cognitio vero peccati maxime ad pœnitentiam stimulat, pœnitenti autem Deus peccata dimittit. Adæ ergo peccatum dimissum est, quoniam ex facto pœnituisse eum conjicitur. Folis siquidem ficulneis, quæ delectationem nullam præstant, sed quodammodo mordent ac pungunt, corpus contextit: cum tamen alia plurima essent folia blandiora, quæ minus corpus ejus affligere potuissent. Atque ideo nullam in se portat maledictionem, quoniam Deus prævidit eam quam acturus erat pœnitentiam. Quod autem illa sint pœnitentiæ signa, inde convincitur, quod statim dominus per illud fecit ut ad misericordiam, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis eos induens. Atque (ut solemne est Deo peccatorem ad pœnitentiam stimulare, stimularumque in melius provehere) Adam quem mente compunctum vidit, postquam eum eiecit de paradiso, noluit eum longe à paradiso habitare, sed è regione paradysi (ut ait scriptura) (Gen. 3.) eum posuit, ut per aspectum, & continuam loci memoriam, unde propter peccatum eiectus fuerat, major illi continui doloris suggereret occasio. De hac re nullam Ecclesiæ in Concilio factam definitionem invenio, quod tali (ut opinor) evenit causa, quoniam tunc eo tempore quo pestis illa orta est, sæviente persecutione Imperatorum, Concilia non potuerunt congregari usque ad tempus Constantini majoris, sub quo pax data est Ecclesiæ Dei. Cum autem post Tatianum à nullo reperitur errorem hunc fuisse suscitatum, præterquam à Severo ejus discipulo, à quo Severiani dicti sunt, hæc, ut arbitror, fuit causa, ut in Conciliis quæ longo post tempore celebrata sunt, nihil de hoc errore definitum sit. Post primam hujus operis ædificationem, reperi apertum scripturae sacrae testimonium ad hanc hæresim revincendam, quod nunc addere oportuit. Nam Sapiens de divina sapientia loquens, (Cap. 10.) ita ait: *Hæc illum qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum quam solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à deliciis suis.* Quæ verba satis aperte docent Adam fuisse salvum.

Secundus de hac re ortus est error, asserens Adam post peccatum perdidisse imaginem Dei. Hunc errorem tribuit Origeni Epiphanius Episcopus Salaminc in quadam epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, quam beatus Hieronymus è Græca in Latinam linguam vertit, quæ & ideo inter epistolas Beati Hieronymi continetur, tomo earum secundo. Quis autem hic fuerit Ori-

ge-

creatura masculum & feminam fecit eos Deus. Jam de altero communi istorum errore discutiamus. Primo quidem eorum fundamentum invalidum est. Nam ideo Armeni in statu illo negant copulam futuram, quia nuptias illicitas esse putant, earumque usum dicunt esse peccatum. Hoc quam falsum sit, inferius Deo duce ostendemus. Quod ergo asserunt de copula carnis minime futura in illo statu, convincitur esse falsum, ex eo quod dicitur in Genesi. Postquam enim Deus creavit Adam & Evam ad imaginem suam, atque masculum & feminam eos fecit: statim benedixit illis, & ait. *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Verum quia dicunt genus humanum aliter quam per coitum multiplicandum: forte alicui videbitur hunc locum non multum eos urgere: ideo aliunde petamus arma. In eodem libro immediate postquam Eva describitur ex latere Adam formata, verba ipsius Adæ subjunguntur, dicens: (*Genes. 2.*) *Hoc nunc os ex osibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hæc autem verba dicta sunt ab Adam antequam peccaret, ut patet ex historia decursu. At nūquam vir & uxor sunt una caro nisi per coitum, per quem fit feminam mixtio ad unum hominis corpus generandum. Si vero dicant ideo Adam & Evam dici unam carnem, quia caro Evæ sumpta est ex carne Adæ: qua ergo ratione vir qui nunc est cum uxore sua, dicitur una caro, cum caro uxoris non sit repetita ab illo? An forte verba illa Adæ tamquam ad solam Evam dicta, sic erunt accipienda, ut ad posteros conjuges nullo modo referantur? Absit, quoniam per illa verba Deus Pharisæos convincit, (*Matth. 19.*) ostendens non licere dimittere uxorem nisi causa fornicationis: quod non faceret si verba illa Adæ non essent ad omnes conjuges referenda. Præterea. Adam nec patrem neque matrem habuit, sed ex terra formatus est à Deo. Ergo illa verba Adæ non ad ipsum Adam, sed ad alios referri debent, cum ait: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* Quod si, ut necessarium est, fatentur illa verba Adæ ad omnes posteros applicanda, dicuntque ideo virum quemlibet esse unam carnem cum uxore sua, quia licet caro uxoris non semper sumatur ex carne sui viri, sufficit tamen ut olim in primis parentibus sic factum fuerit, quoniam ad eorum imagines reliqui facti sunt: hæc ergo ratione erit etiam quilibet vir cum quolibet femina una caro, cum quælibet femina ad imaginem primæ sit facta, quæ ex latere viri sumpta fuit, quod absurdum est fateri. Eadem etiam lege erit fatendum Adam & Evam ante copulam fuisse unam carnem, quod tamen ex eisdem verbis patet non ita esse. Nam formata ex ejus latere Eva, statim in hæc verba prorupit. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non enim dixit, *Erunt duo in carne una, sed erunt, inquit, duo in carne una.* Quod si nulla est alia res esset opus, ut una caro efficerentur, diciturus erat: *Et sunt duo in carne una.* Cum ergo dixit, *Erunt duo in carne una, significavit aliquam aliam rem esse necessariam, nempe coitum, ut caro una dicantur vir & uxor, etiam post primam conjunctionem animorum verbis expressam, per quam solam conjuges fiunt. Nam de conjugibus jam animo conjunctis loquitur Adam quando ait: *Et erunt duo in carne una:* quod patet ex eo quod prius dixerat: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Et postquam jam expresse-*

rat nomen uxoris, subjunxit: *Et erunt duo in carne una.* Quod si quis adeo insanat, ut pro hac defensione dicat Adam inconsiderate fuisse locutum: attendat illa non tantum esse verba Adæ, sed verba Dei per os Adæ loquentis: Hoc autem manifestum evadit ex his quæ apud Marthæum Christus retulit. Nam Pharisæis querentibus an liceret homini dimittere uxorem suam quocumque ex causa, respondit: *Non legistis quia qui fecit ab initio, masculum & feminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimitte homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una? itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Vides ex verbis Salvatoris, qualiter is qui masculum & feminam fecit eos ab initio, hoc est, Deus, dixit: *Propter hoc, &c.* Unde Theophylactus super Marthæum ait: *Quomodo autem in Genesi scriptum est, Adam dixit: Propterea deseret homo patrem suum. Hoc autem dicit Christus, Deus dixit: Propterea deseret homo, ac cætera. Dicimus igitur quod & id quod Adam dixit, ex Deo dixit: atque ita sermo Adæ Dei est. Igitur quia una caro facti sunt, & propter coitum, & naturalem amorem coherentes, sicut impium est suam carnem dividere, ita & conjuges divellere.* Hæc Theophylactus. Ex quibus patet verborum consonantia: quoniam sermo ille tribuitur Adæ, tamquam instrumento: Deo autem tamquam artifice, aut linguæ illius motori. Patet etiam ex verbis Theophylacti, tunc virum & uxorem dici unam carnem, quando scilicet per amorem & per coitum carnalem copulantur: quod ex ipsis etiam scripturæ verbis aperte convincimus. Nam in prioribus epistola ad Corint. cap. 9. Paulus ait: *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne una.* Ex quibus Pauli verbis aperte convincitur, per coitum solum virum & feminam fieri unam carnem, non tantum in coitu conjugum, verum etiam in fornicario. Propter quod merito doctores definiunt ex fornicario etiam coitu oriri affinitatem veram, adeo ut illa etiam efficax sit confensio ad impediendum contractum matrimonii juxta Ecclesiasticas sanctiones. Taceant ergo Armeni insipientes, & Ecclesiæ catholicæ obediant.

Quartus qui in hac materia reperitur est error, à Pelagio monacho fuscitatus est. Hic enim dixit (ut ait beatus Augustinus in lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum) quod Adam foret mortuus etiam si non peccasset, & quod mortuus est non ex culpa demerito, sed ex conditione nature. Hic Pelagius ex magna Britannia oriundus, monachusque existens in partibus Orientis, tandem in patriam reversus, postquam errores suos alibi etiam sparserat, totam pene patriam suo infecit errore. Quum autem Angli pro hac re favorem & auxilium peterent à Gallicanis Episcopis, eo quod clarior apud eos esset doctrina, Germanum & Lupum Episcopos & fratres (ut ait Beda in libro de ratione temporum) catholicæ fidei defensores accipiunt, qui Antistites insulam ab hæresi Pelagiana expurgarunt, eam confirmantes in fide & verbo veritatis, & miraculorum signis. Vixit sub Honorio & Theodosio juniore. Contra hunc Pelagium fuerunt duo Concilia celebrata, unum Carthagenense, & aliud Milevitanum. Inter alios ergo hujus Pelagii errores is unus numeratur, quo asserit Adam mortuum non propter culpam, sed ex naturali conditione qua conditus est, in qua est mansisset, nec à Dei mandato recessisset, nihilominus (ut ille ait) moreretur. Hic autem error ex eo forte videbitur alicui convinci posse, quod dicitur in Genesi cap. 2. *In quacumque die comederis, morte morieris.* Signum est ergo quod si non

non comedisset ex ligno vetito, non moreretur. Cui argumentationi respondebitur, quod etsi collectio illa efficax esset & valida, nihil propositum firmat, quoniam ille scripturæ locus de morte spirituali quæ est peccatum, intelligendus est, ut optime convincit Bucherius Lugdunensis Episcopus in lib. suo 1. super Genes. sic enim ait: *Mortem dicit animæ, non corporis: quia non eo tempore mortui sunt quando comederunt. Ergo hanc quam Deus homini minatus est mortem, non eam tantum debemus accipere, qua caro separatur ab anima, sed hæc quæ hæc alienatur à Deo qui est vita sua. Sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima ut beate vivat, vivit ex Deo. Ergo deserta à Deo anima, jure dicitur mortua. Ex qua tres postea sequuntur sunt mortes, prima in anima, secunda in carne, tertia in damnatione.* Sed ut istæ sequerentur, prima præcessit desertio Dei. Hæc Bucherius. Et eodem modo hunc locum interpretatur beatus Gregorius in quadam epistola ad Naris comitem, quæ est decimaquarta libri quinti epistolularum illius. Hoc ergo scripturæ loco præterito, aliunde sunt nobis arma sumenda. Primo ergo hic error clarissime convincitur per id quod ait Apostolus in ea quæ est Romanos epistola, cap. 5: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et in eadem epistola, cap. 8. iterum ait: *Corpus mortuum est propter peccatum.* Hic scripturæ locus adeo aperte Pelagium oppugnat, ut nulla possit ratione ab eo defendi, quoniam in eo clarissime loquitur de morte quæ distinguitur à peccato, & hæc dicit fuisse propter peccatum introductam. Rursus. *Deus qui mortem non fecit, nec latatur in perditione vivorum* (ut dicitur in libro Sapientia cap. 1.) *creavit hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Si ergo inextinguibilem fecit, ergo in tali nature conditione fecit, in qua si perseverasset, non moreretur. Demum ipse ordo rei gestæ circa Adam, ostendit eum in penam peccati incurrisse mortem. Primo quia tunicas pelliceas illi fecit, quæ fieri non possunt nisi ex animali mortuo. Hæc ergo tunica illi tamquam jam mortuo datur ex pelle animalis mortui. Deinde cum ei maledictio terræ pro peccato infligitur, dicente Domino: (*Gen. 3.*) *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem revertaris.* Hoc autem constat illi injunctum esse propter peccatum. At numquam homo revertitur in terram de qua sumptus est, nisi mediante morte: signum est enim mortem penam fuisse peccati. Postremo cum Adam ejiceret de Paradiso, dicit Deus: *Ne forte comedat de ligno vite, & vivat in æternum.* Ex quo videtur per ligni vitæ esum à morte præservandum. Contra hunc errorem est Concilium Milevitanum sub Innocentio primo, & temporibus Arcadii, & Honorii Imperatorum celebratum. In hujus siquidem Concilii gestis, capite primo, sic dicitur: *Placet, cuit ergo omnibus Episcopis qui fuerunt in hac sancta Synodo constituere hæc, quæ in præsentis Concilio definita sunt, ut quicumque dicit Adam primum hominem, nem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate nature: anathema sit.* Quum ergo Ecclesiæ finem huic liti jam imposuerit, non est quod amplius de hac re disputemus.

Quinta hæresis de hac re orta est, quæ asserit primos parentes Adam, & Evam fuisse cæcos ante pecca-

tum, ac tunc primum eos videre cœpisse, quum de cibo ligni vetiti comederunt. Ad quod asserendum ex eo movetur, quod post illorum peccatum sacra scriptura refert, oculos eorum fuisse apertos, & sic suam considerasse nuditatem. Quis autem hujus hæresis fuerit auctor, & quo tempore fuerit orta, mihi non constat: quoniam solum Philastrum hujus hæresis meminisse video, qui quum dicat fuisse aliquando ortam hæresim, non tamen expressit, quo tempore, aut loco, aut quo auctore fuerit orta. Hæc hæresis facillime convincitur. Nam antequam illi peccassent, de muliere loquens sacra scriptura, dicit: (*Ibidem*) *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Si cæca illa fuisset, lignum videre non potuisset: vidit ut sacra fuisset scriptura, non igitur fuit cæca. Neque opus est ut in re tam aperta amplius contendamus. Quod autem pro se adherent, ex ignorantia procedit: quoniam si recte (ut decet) litteram illam intelligerent, nullo modo sibi favere plane agnoscerent. Audiant igitur beatus Augustinum, qui in lib. 14. de Civitate Dei, cap. 16. interpretatur quomodo illud sit intelligendum, sic inquit: *„Patebant oculi eorum, sed adhuc non erant aperti, hoc est, non attenti, ut cognoscerent quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, ut pena reciproca inobedientia pecceretur, extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde esset indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditque confusos. Hinc est quod posteaquam mandatum Dei, aperta transgressione violatur, scriptum est de illis, Et aperti sunt oculi amborum, & cognoverunt quia nudi erant, & conuerunt folia ficis, & fecerunt sibi campestria. Aperti sunt, inquit, oculi amborum, non ad videndum: nam & antea videbant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant.* Hactenus Augustinus. Ad eundem modum interpretatur B. Joannes Chrysostomus, & Eucherius in Commentariis super Genesim, quorum verba in præsentiarum citare nolum, ne in re tam manifesta testimoniis multitudine velut parum necessariam, lector fastidiret.

Sexta hæresis est quæ docet Evam cunctarum gentium matrem non esse ex costa Adæ formatam, prout historia libri Genesis juxta faciem litteræ refert, sed tunc simul Evam à Deo de limo terræ, & non de costa Adæ formatam esse asserit, eodem puncto quo Adam de limo terræ formavit. Hujus hæresis auctor, & primus inventor fuit Thomas de Vio Cajetanus. Quis autem is fuerit quamvis sit nunc toti orbis notum, quia tamen non solis præsentibus, sed etiam futuris scribimus, operæ precium fore existimavi, plane declarare. Fuit hic Thomas de Vio Religiosus ex ordine Fratrum Predicatorum, ex Cajeta oriundus, quam ob causam vulgo Cajetanus nuncupatur. Fuit in Theologia scholastica tam insigniter doctus, ut nulli ex his qui suo tempore floruerunt, secundus fuerit. Ob litterarum eminentiam, & morum probitatem, communi fratrum sui Ordinis consensu, fuit in Generale eisdem Ordinis Magistrum electus, & inde à Leone X. fuit ad Presbyteri Cardinalis dignitatem exaltatus. Quo loco cum per 20. annos vixerit, nullam tamen (ut cæteris mos est) humanorum vitiorum finitram de se opinionem dedit. Multa & varia opera edidit: sed multa scribenti contigit quod Salomon ait: (*Prov.*

(*Proo. 10.*) *In multiloquio non desit peccatum.* Nam quamvis multa utilia scripsit, quia tamen suo ingenio multum fidebat, in aliquos lapsus est errores, e quibus unus est iste de quo nunc inquirimus, quo asserit, Evam non esse formatam ex costa Adæ. Quæ autem sacra scriptura in libro Genesis de formatione Evæ narrat, dicit ille non esse juxta litteram intelligenda, sed juxta mysterium: non quidem per allegoriam, sed per parabolam. Somnus enim ille quem Dominus misit in Adam, ut inquit, similitudinem gerit defectus virtutis virilis, unde naturaliter producit homo: quia homo dormiens semihomo est, & similiter principium generans mulierem semivirile est. Ablata costæ ex viro ad formandam mulierem quatenus costa est os (ut ait) similitudo est diminutionis roboris ex animo viri ob uxorem: quatenus vero est costa, similitudo est focalis vitæ inter virum & uxorem, ita quod nec superior viro, nec serva viri, sed collateralis esset viri. Quatenus autem costa est una, dicit esse similitudinem minimi roboris tum corporis, tum animi mulieris, & perinde ut proportio virium muliebrium ad vires viriles, sit quemadmodum proportio unius costæ ad reliquas costas omnes. Restitutionem vero carnis pro costa, dicit esse similitudinem representationis quæ fit viro, dando illi carnalem generationem, ac propagationem filiorum, loco diminuti roboris animi ex conjugio. Hæc sunt quæ ille de hac re docet in Commentariis super Genesim. An autem propter hunc, & alios ejus errores ille sit hæreticus censendus, an non, aliorum esto judicium. Ego siquidem de doctrina in præsentiarum dissero, non de persona. Potuit quidem errare (ut in primo hujus operis libro diximus) & hæreticus non esse; præsertim si non pertinaci animo suæ sententiæ adhæsit. Hæc etiam enarrata assertio convincitur esse hæretica, quia aperte oppugnat scripturam sacram, & totius Ecclesiæ consensum, & in illa non solum unus continetur error, sed plures. Nam (ut Aristoteles ait) uno falso admisso, multa deinceps falsa sequuntur. Primo quidem (prout ego ex illius dictis conjicio) ille sentit Evam simul cum Adam à Deo formatam esse. Ad quod dicendum movetur per id quod ibidem scriptura ait: *Masculum, & feminam creavit eos.* Ex quibus verbis ille colligit simul à Deo illos fuisse formatos. Sed hanc sententiam aperte oppugnat Sapiens, qui de divina sapientia loquens, ait: (*Sap. 1.*) *Hæc illum qui primus formatus est à Deo Patre orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo.* In quibus verbis, id maxime advertere oportet, quod ait: *Cum solus esset creatus.* Aliquod ergo tempus, juxta Sapientem fuit, in quo solus erat Adam creatus: quo fit ut non ambo simul. Præterea, Paulus in priorie ad Timotheum epistola, cap. 2. ait: *Adam primus formatus est, deinde Eva.* Et certe de hoc errore non est quod amplius contendamus, quum tam aperte illi sacra contradicat scriptura. Ad secundam igitur errorem accedamus, quo asserit Evam non esse de costa Adæ formatam, ut littera sacra scripturæ in facie sonat. Contrarium hujus erroris docet Paulus, qui Atheniensibus in medio Areopagi loquens, hæc ait: (*Act. 17.*) *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli, & terra quum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indignus aliquo, quum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* In quibus verbis id annotandum est quod ultimo dixit: *Fecitque ex uno omne genus hominum.* Si Eva (ut iste asserit) non

est educta de costa Adæ, consequens est, ut non omne genus hominum Deus ex uno fecerit. Et iterum in priorie ad Corinth. epistola, cap. 11. eandem sententiam docet sic inquiriens: *Mulier gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Ecce audis mulierem esse factam ex viro: numquam autem alibi legitur ex viro facta, nisi cum Eva fuit ex costa Adæ formata. Sentit ergo Paulus, juxta id quod historia libri Genesis refert, Evam de costa Adæ fuisse formatam. Et Ecclesiasticus, cap. 17. hoc ipsum apertius ostendit, qui postquam dixerat hominem à Deo de terra fuisse creatum, postea de muliere loquens, dicit: *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Præterea juxta illam parabolicam litteræ interpretationem quam hæc hæresis docet, nihil profusus de formatione Evæ habetur: sed solum modus declaratur quo deinceps alia mulieres essent generandæ, & causa exprimitur, cur potius femina quam masculus generetur. Si illo loco, videlicet secundo capite lib. Genesis, scriptura sacra nihil de formatione Evæ dixerit, quando igitur & ubi Evæ formationem expressit, ut nos plene, & clare discere possumus materiam ex qua illa formata sit? Mirum certe est quod Adæ formationem tam aperte declaraverit, dicens illum esse à Deo de limo terræ formatum, & de Evæ formatione nihil profusus dixerit. Numquam siquidem scriptura quidquam de formatione Evæ dixit præter id quod habetur in illo secundo Genesis capite. Si dicas de illius formatione tunc disseruisse, cum primo capite dixit: *Masculum, & feminam creavit eos.* Fateor quidem tunc de creatione feminae, & maris dixisse. Sed per illa verba constare non potest, ex qua materia alter illorum fuerit effectus, quia solum dicit illos esse à Deo creatos, non tamen unde fuerint ab illo producti. Nam ob hanc causam Moses capite 2. hominis formationem clarius, & apertius docere decrevit: quippe qui bene intellexerat non posse illam cognosci per ea quæ primo capite disseruerat. Si dicas tunc de Evæ formatione Moysen tractasse, quum secundo Genesis capite dixit: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem.* Quia enim hæc vox homo, communis est generis, quæ tam feminam quam marem significat, forte inde suspicari posse illo loco de formatione feminae agit perinde ac maris. At, non ita esse ut dicitur, vel ex eo convinci potest, quod pro hæc voce homo, hæbraica littera hoc loco habet, Adam. Unde colligitur de sola viri formatione Moysen tunc fuisse loquutum. Ubi ergo Evæ formationem docuit Moyses, si tunc non docuit quando illam de costa Adæ formatam esse dixit? Vel quomodo Thomas de Vio scire potuit Evam perinde ac Adam de limo terræ fuisse formatam, si nunquam hoc sacra expressit scriptura? Nam & si pluries dicat Adam de limo terræ formatum, numquam tamen hoc dixit de Eva. Nam in libro Genesis (ut modo diximus) de Adam loquitur, & non de Eva. Et Tobias Junior, Deum orans, cap. 8. ait: *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedisti que ei adjutorium Evam.* Ecce audis Adam de limo terræ factum, sed non Evam. Et Salomon de primo homine patre orbis terrarum, in lib. Sapientia, cap. 10. loquens, sic ait: *Eduxit illum de limo terræ, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Ecce dicit Adam de limo terræ formatum, de Eva autem nihil tale dixit. Iste ergo qui negat Evam fuisse de costa Adæ formatam, ostendat nobis scripturam sacram quæ aperte nos doceat, illam aliunde fuisse factam, & ce-

dimus illi. Quod cum ille facere non possit, oportet ut ille Ecclesiæ aliud docenti cedat. Rursum, si illo secundo Genesis cap. ubi dicitur Evam fuisse eductam de costa Adæ, scriptura sacra (ut ille dicit) non tractat de productione Evæ, unde Salomon scire potuit Adam aliquando fuisse solum? Et Paulus unde didicit Adam primum fuisse formatum, & postea Evam? Nullus est enim alius sacra scripturæ locus unde hoc Paulus discere potuisset, nisi iste. Deinde, ipsa Adæ verba, quæ cum formatam vidisset mulierem, dixit: hoc apertissime ostendunt. Hæc inquit ille, (*Genf. 8.*) *vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Ex quibus verbis constat Adam juxta rei eventum mulieris nomen imponere voluisse, ut quemadmodum à viro mulier educta fuerat, ita à viro nomine nomen mulieris duceretur. Nam vir hæbraice dicitur Ise, mulier vero dicitur Ica: quam analogiam si nos sequi vellemus, à viro, vira diceremus. Quod, quia latinus hanc vocem vira, non admittit, beatus Hieronymus quantum latini sermonis lex pariebat expresse, dicens, virago. His ergo sic prænotatis opus est diligenter advertere quid dixerit Adam: *Hæc vocabitur virago (inquit ille) quoniam de viro sumpta est.* In quibus verbis nomen mulieri imponens, illius etymologiam, & derivationis rationem expresse. Nam Ica ab Ise deducitur: causam vero quare tale nomen mulieri tribuerit, statim reddidit, dicens: *Quoniam de viro sumpta est.* Præterea, liber Genesis historicus est, & ideo quæ ibi dicuntur juxta historiam in faciem litteræ sunt intelligenda. Nam etiam in sacris historiis ea quæ gesta narrantur, mysteria alia sub litteræ cortice sæpe contineant, semper tamen illis veritas historiarum prius juxta grammaticam significationem accipienda est, deinde quærendus est mysticus sensus. Nisi forte in ipomet historiae contextu scriptor expresse moneat parabolicum esse quod refert, tunc enim implemet auctor cogit nos dicta sua parabolice intelligere. Tale est illud quod in libro Judicum dicitur de lignis quærentibus sibi Regem, quod postquam Joatham dixerat, statim ostendit fuisse ab eo parabolice dictum, cum parabolam ipsam declaravit. At cum liber Genesis historicus sit, & nullam in hoc loco de parabola admonitionem faciat, convincitur hæc omnia de Evæ formatione non esse parabolice accipienda. Accedit ad hæc, concursus omnium sanctorum doctorum sententia, quæ (ut in primo hujus operis libro cap. 7. docuimus) tanti est momenti, ut pro Ecclesiæ definitione sit tenenda. A Christo autem nato usque in hodiernum diem omnes fideles concorditer senserunt Evam cunctarum gentium matrem fuisse de costa Adæ formatam. Et quia sic omnes sensisse res est manifestissima, decrevi illorum pro hac re testimonia non adferre, ne in re minime necessaria chartas implem, & nimia prolixitate lectorem onerem. Si quis autem aliquorum pro hac re testimonia desiderat, ostendam illi loca unde capere possit. August. lib. 9. super Genesim ad litteram, cap. 19. & lib. 12. de Civit. Dei, cap. 21. Chrysof. homilia 15. super Genesim. Greg. lib. 30. Moralium, cap. 24. Theophastrus super Paulum ad Ephes. 5. & prima ad Corinth. 11. Anselmus super eadem Pauli loca. Eucherius super Gen. cap. 20. & 21. Petrus Lombardus, 2. Sententiarum dist. 18: Et omnes Socratici Theologi qui post Petrum Lombardum scripserunt. Neque apud solos fideles Christianos hæc semper est recepta doctrina, sed etiam apud doctos Judæos. Nam Josephus Judæus vir quidem hæbraice, & græcè doctissimus, lib. 1. de Anti-

quitatibus, cap. 2. de hominis productione differens, sic ait: „ Videns autem Deus Adam non habentem societatem ad feminam, neque cohabitationem, cum utique, que non esset delectatus ut in aliis animalibus quæ copulata videbantur, una die eo dormiente, auferens costam ejus, finxit ei mulierem: & Adam sibi conjunctam cognovit de se fuisse plasmam. Ica vero, Hebraica lingua mulier appellatur.“ Hæc Josephus. Miror ergo tantam esse hujus Thomæ Cajetani auctoritatem, ut contra omnium Christianorum, & Judæorum concordem sententiam docere non vereatur, quasi ille solus, reliquis omnibus cæcuscigitibus, veritatem ipsam intelligere poterit. Misera igitur Ecclēsia quæ per tot sæcula in tanto errore permanferit, ut non intelligeret quo pacto fuerit Eva formata, scilicet expectandus erat Thomas de Vio, cui soli hujus rei intelligentia fuerat à Deo servata, ut per illam Ecclēsia ab errore quo hæctenus fuerat infecta, revocaretur. Si hoc ita esse credidit, oportebat ut aperta miraculorum operatione tam novam doctrinam confirmaret, quatenus nos illi obnoxios faceret. Et crederemus hoc esse illi à Deo revelatum. At cum nullum tale miraculum in hujus novæ doctrinæ testimonium fecerit, etiam si nihil aliud esset quo tale dogma revinci possit, sola novitate viris doctis displicere debuisset. Adde, quod hæc assertio à viris sanctis ante multos annos fuit hæreseos nota signata, & hæretici ab illis censurati qui tale adhæserint sententiæ. Beatus Hieronymus super epistolam ad Philem, interpretans locum illum ex libro Exodi, cap. 19: *Credidit populus Deo, & Moysen servo ejus,* sic ait: „ Una, atque eadem credulitas in Moysen refertur & in Deum, ut populus qui credebat in Dominum, æque credidisse dicatur in servum. Hoc autem non solum in Moysen, sed in omnibus sanctis ejus est: ut quicumque, que credidit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat, nisi credat & in sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio, & fides, quæ in ministros ejus odio & infidelitate teneatur. Quod autem dico, tale est. Credit quispiam in conditorum Deum, non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis ejus, vera esse, quæ scripta sunt: Adam à Deo plasmam, Evam ex costa illius, & latere fabricatam. Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe servatum. Et postquam multa alia similia opera retulit, tandem subjungit, „ Hæc, & cætera quæ de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit.“ Hæc Hieronymus. In quibus verbis hic annorandum est, quæ inter illa quæ dicit necessario credenda esse, misceat formationem Evæ ex costa Adæ, & si quis hoc non crediderit, illum non posse in Deum credere, dixit. Demum Innocentius tertius hujus nominis Pontifex, decernens divino jure prohibitum esse, plures simul habere uxores, huic sententiæ tanquam firmissimo fundamento innititur, quod ab initio una costa in unam feminam sit conversa. Habetur autem hoc Innocentii decretum in cap. Gaudemus, extra de divorciis. Sed opus est ut discutiamus rationes quibus ad hanc hæresim asserendam Thomas de Vio Cajetanus fuit motus, & illas nullius esse roboris ostendamus. Primo quidem objicit, quod inevitabile absurdum incurritur (verba sunt illius) vel quod Adam fuerit monstrum ante sublatam ex eo costam, vel quod fuerit mancus post sublatam ex eo costam: quorum utrumque manifeste est absurdum: nihil autem absurdi in prima rerum produc-

tione asserendum esse, confessum est ab omnibus. Et patet sequella, (inquit ille) quia si costa illa erat superflua homini, ergo monstruosus homo. Si vero costa illa necessaria erat homini, constat quod illa sublata, redditus est homo mancus. Hæc ille. Discutiamus ergo quantum momenti hæc ratio habeat. Si nos concederemus Adam ante ablatam ab eo costam esse monstruosum hominem, ille hæc sententiam refellit per hoc quod communis omnium consensus contrarium docet. Sic enim ait: Nihil autem absurdum in prima rerum productione asserendum esse, confessum ab omnibus. Si hæc argumentatio ex communi omnium consensu, tam valida est, ut sola illa ad evincendum sibi fuerit visa sufficiens, suo ipsius gladio illum facile confodimus. Nam concursus omnium sententia est (ut jam ostendimus) Evam de costa Adæ fuisse formatam. Fateatur igitur oportet se errasse, eum contra omnium sententiam dixit, Evam non fuisse de costa Adæ formatam. Nam ob eandem causam nos fatemur renuimus Adam fuisse monstruosum hominem ante ablatam ab eo costam, quia contra communem omnium doctrinam sentire non audeamus. Sed tunc ille nos invadit, ut cogat nos fateri fuisse monstruosum hominem, quia costa illa erat homini superflua, cum non esset necessaria ad humanæ conditionis sustententiam, aut si necessaria erat, oportebit concedere, ipsum Adam post ablatam ab eo costam fuisse mancum. Hanc nodum dissolvit beatus Thomas in prima parte, questione 92. artic. 3. dicens: "Costam illam fuisse de perfectione Adæ, non prout erat individuum quoddam, sed prout principium speciei: sicut semen est de perfectione generantis non quidem ut homo, quia alias homo postquam semen fudit, & semine exhausto non esset homo; sed est de perfectione generantis in quantum generans est. Ita etiam costa illa fuit in Adam ad modum feminis, quia fuit materia unde formanda erat mulier, & sic illa fuit de perfectione Adæ, quatenus ille erat principium totius humanæ naturæ. Sed ille adhuc urget, dicens: Si non fuit Adam ante costam ab eo ablatam monstruosus principium, quia costa illi in ratione principii erat necessaria, saltem oportebit concedere illum fuisse monstruosum hominem, quia in ratione hominis non erat illi necessaria. Neque hoc oportet concedere, sicut nec homo semen habens dicitur monstruosus, quamvis semen illud non sit de perfectione hominis. Nam etsi ad consistentiam individui non sit necessarium, est tamen necessarium ad conservationem speciei: & hoc satis est ne monstruosus homo dicatur. Quoniam individua non solum id retinent quod ad suam consistentiam est necessarium, sed etiam illud quod est necessarium ad conservationem speciei. Secundo sic arguit: Postquam scriptura dixerat Adam appellasse cuncta animalia nominibus suis, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ, statim subdit: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.* Ex hac littera ille sic arguit: Si secundum litteram hic locus intelligatur, ridiculam inquisitionem significat. In cujus enim mente (inquit ille) verti poterat in dubium, an inter aves inveniretur adjutor correspondens Adæ? Unde hujusmodi divina inquisitione introducta à Mose, dicendo: *Et non inveniebatur, ad hoc introducta est, ut intelligeretur formationem subsequatam mulieris ex costa viri, non esse juxta sonum litteræ intelligendam.* Hæcenus ille. O ridiculum argumentum, & ex mero somnio, & littera con-

ficta deductum. Sacra siquidem scriptura non dicit Deum quævisse inter aves, aut bestias adjutorem Adæ, sed solum ait: *Adæ non invenit adjutorem similem ejus.* Forte dicit per verballia scripturam loquere, Deum quævisse adjutorem similem Adæ, quia nihil invenitur nisi quod prius quæsitum est. Esto, ut juxta veram, & legitimam vocis significationem, quicquid inventum fuerit, prius sit quæsitum, non tamen inde consequens est, ut quod dicitur non fuisse inventum, sit etiam ante quæsitum. Nam sicut ea quæ non fuerunt quæsitum, falso dicuntur juxta Grammaticorum regulas inveniri, ita vereduntur non inveniri: quia duo contradictoria de eodem negari non possunt. Si scriptura dixisset Deum invenisse adjutorem similem Adæ, forte inde colligi posset, Deum quævisse prius tale adjutorem. At cum dixerit, *Adæ non invenit adjutorem similem ejus*, nescio qua fronte inde colligere nititur, Deum quævisse adjutorem Adæ. Quod ergo scriptura post nominatas bestias, & aves, ait: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus*, idem est ac si dixisset, Adam non habebat adjutorem similem ejus, quamvis aves omnes, & bestias feminas ex sua specie haberent quibus possent ad aliorum generationem adjuvari. Et, ut illius argumentationi magis enervetur, ostendam sacram scripturam non semper uti illa tam exacta vocis significatione: quoniam apud illam multa dicuntur, inveniri ab his, qui nullo modo ea quæsierunt. Et, ut ex multis unum, & alterum scripturæ locum proferam, David in Psalmo 118. ait: *Tribulatio, & angustia invenerunt me.* Certum enim est, tribulationem, & angustiam, & reliqua hominis incommoda, quæ minime sentiunt, aliquem querere non posse. Nullus siquidem querit, nisi illi quod sentire potest, aut ad quod naturale habet inclinationem. Sed illud est multo manifestius, quod Dominus per Esaiam Prophetam de gentibus loquens, cap. 65, ait: *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, & invenerunt qui non quæsierunt me.* Tertio iterum ut suum errorem nobis persuadeat Cajetanus, arguit iniquis: Accedit ad idem textus Mose de sexto die, in quo manifeste scriptum est: *Masculum, & feminam creavit eos.* Ex hoc enim quod Moses scripserat mulierem creatam esse sexto die, & postea translato homine in paradysum, describit eam ex costa viri formatam, adiuvi intelligendi hujusmodi formationem ex costa, non proprie, sed secundum similitudinem dedit. Produca siquidem sexto die mulier, non esse intelligendum putavit quod iterum produceretur. Hactenus nec uno mutato verbo Cajetanus. Non possum certe non mirari hominem aliqui doctum, tantum despuisse, ut nodum hunc dissolvere nesciverit. Nam ex ignorantia consuetudinis scripturarum hic error illi obrepit. Mose siquidem scriptura sacra est, sæpe aliqua brevi compendio narrare, & postea ad eadem latius differenda, redire. Nisi enim hunc esse factæ scripturæ morem fateamur, multa incommoda, & fidei catholice repugnancia cogemur asserere. Oportebit quidem asserere, ut Philaster Brixienis propter hujus observationis ignorantiam asseruit, spiraculum illud vitæ, quod Deus in faciem Adæ inspiravit, non esse animam Adæ: quoniam I. Genes. cap. 2. dicitur: *Adæ creatum esse à Deo ad illius imaginem, & similitudinem*, unde sequitur illum jam habere animam, quia juxta illam, & non juxta corpus erat Dei imago. Cum ergo tunc Adam animam habuisset, fieri non posse videbitur spiraculum illud, quod postea dicitur Deum illi inspirasse, esse animam.

Opor-

Oportet igitur juxta hanc Cajetani argumentationem, spiraculum illud non juxta litteram, sed parabolice intelligi, ne anima bis producta esse dicatur. Verum hoc non ita esse, nos Deo quæ infra ostendemus in titulo de Anima, hæresi 2. Oportebit etiam concedere, si illa Cajetani argumentatio valeret, hominis formationem de limo terræ, non esse ut littera sonat intelligendam, ne Adam bis creatus esse dicatur. Nam sicut cap. 1. libri Genesios Moses dixerat feminam esse creatam, ita etiam dixerat virum esse à Deo creatum. *Masculum* (inquit ille) *& feminam creavit eos.* Et cap. 2. sicut de Evæ formatione differit, dicens illam esse educatam de costa Adæ, sic etiam de Adæ productione tractat, docens illum de limo terræ fuisse formatum. Ne igitur Adam bis productus esse dicatur, oportebit juxta Cajetani argumentationem, dicere illam Adæ productionem esse parabolice intelligendam. Nos tamen hos, & plures alios similes nodos facile dissolvimus, attendentes ad sacre scripturæ morem, quæ sæpe ad ea, quæ jam semel sub compendio dixerat, redit ut aperius, & fusius illa narret. Fateamur quidem Evam sexto die à Deo fuisse creatam sicut Adam. Sed utriusque formationem, hoc est, viri, & mulieris, cum varia fuisset, Moses illo primo capite non expresserat, ideo iterum 2. cap. sigillatim utriusque sexus productionem dicere decrevit. Non igitur bis productam mulierem dicit Moses, quamvis verba illius juxta litteram sonent accipiantur: sed quæ semel obstricta ab illo dicta fuerant, iterum eadem repetit, ut aperius, & plenius illa referantur. Hanc autem esse veram, & germanam illius litteræ expositionem confirmo testimonio beati Augustini, qui lib. 6. super Genes. cap. 2. ita inquit: "Jam ergo de limo formatus, erat, & illi jam saporato mulier ex latere jam facta, erat, sed hoc tunc commemoratum non erat, quod nunc recapitulando commemoratum est. Neque enim sexto die factus est masculus, & accessu temporis postea facta femina: sed fecit eum, inquit, masculum, & feminam fecit eos, & benedixit eos. Quomodo ergo jam homine in paradiso constituto, mulier ei facta est? An & hoc prætermisum scriptura recoluit? Nam sexto illo die etiam paradysus plantatus est, & ibi homo collocatus est, & saporatus est, ut Eva formaretur, & ea formata evigilavit, eique nomen imposuit. Sed hæc nisi per temporales moras fieri non possent. Non itaque ita facta sunt, sicut creata sunt omnia simul." Hæcenus Augustinus. Ex his igitur omnibus clarissime patet, quam vana, & stultia sint argumenta, quæ Cajetanus moverunt, ut contra omnes catholicos doctores sentiens in hunc pestiferum incidere errorem. Et certe prudentius ille egisset, si suam fateretur ignorantiam, dicens se nescire talibus argumentationibus respondere, quam propter illa contra omnium concordem sententiam præsumere.

DE hac re unam tantummodo inveniri hæresim quæ docet matrimonium legitime contractum, & perfectum consummationem posse dissolvi propter conjugis adulterium non solum quantum ad thori separationem: Ita ut is qui in matrimonio fuit liber à culpa consummati & perpetrati adulterii, possit alterum conjugem adulteterium profus dimittere, & cum alio verum, & legitimum matrimonium contrahere, & illi absque peccato

copulari. Sed de hac hæresi nihil hoc loco dicere statur, propterea quod inferius in titulo de Nuptiis commodior, & apertior erit locus, in quo omnes hæreses quæ huic sacramento adversantur, oppugnate decrevi. Ad illum ergo locum mitto lectorem.

ANGELUS.

Circa Angelorum materiam unum præcise errorem apud eos, quos evolvi auctores, invenio, qui asserit Angelos non esse creatos à Deo, sive bonos, sive malos. Hujus erroris primus auctor ex eis qui Christum semel professi sunt in baptismo (nam adversus hos solos arma sumpimus) fuit Hermannus Rissvic. Hic (ut refert Bernardus de Lutemburgo in suo catalogo hæreticorum) homo Baratus, sive (ut vulgari vocabulo utar) Hollandinus fuit, qui in multos errores lapsus est: tandem cum poenitentia duceretur, & palinoodium cantaret, misericordiam cum aliqua justitia consecutus est, perpetuo carceri damnatus, anno Domini millesimo quingentesimo secundo. Verum cum postmodum carceres evasisset, in priorem dementia relapsus est, & multa etiam pejora quam prius effudit. Propter quod iterum captus anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, per Inquisitores praviatatis hæreticæ damnatus est, & curiæ seculari traditus, & ejus mandato combustus est. Ex his erroribus in quos Hermannus iste prolapsus est, hic est unus quo asserit Angelos sive bonos sive malos à Deo non esse creatos, quia (ut inquit) nusquam hoc scriptura asserit. Hic manifestus est error: quoniam de Angelo malo clare dicitur in libro Job, cap. 4. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* A nomine Behemoth (ut Hieronymo, & Gregorio placet) nullus alius intelligitur quam dæmon. Et in eodem libro de eodem dicitur: *Ipsè est principium viarum Dei.* Quod exponens Beatus Gregorius, ait: "Quid enim visus Dei nisi ejus actiones accipimus, de quibus per Prophetam dicit, cap. 55. *Non enim sunt visæ meæ sicut vis vestræ.* Et principium viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit." Hæc ille. Et apud Ezechielem Prophetam, cap. 31. sub nomine Asur Regis de eodem dæmone dicitur: *Omne lignum paradysus non est assimilatum illi, & pulchritudine ejus, quam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus.* Qui in multis condensisque frondibus speciosus esse factus describitur, quia multis superiorem spirituum legionibus superior creatus est. Præterea de omnibus Angelis dicitur: (Psal. 103.) *Qui facit Angelos suos spiritus.* Per hæc enim Prophetæ verba, Beatus Paulus in ea quæ est ad Heb. epistola, cap. 1, ostendit Christum Dei Filium esse Angelis superiorem, quod scilicet Deus Angelos fecerit, Christus autem factus non sit. Sic enim ait. Et ad Angelos quidem dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Ad filium autem: *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.* Quæ verba exponens Theophylactus: "Angeli (inquit) creati sunt, & ad eos illud, refertur, qui facit. Filius vero nequaquam creatus est, nec de eo illud, qui facit, est dictum: quia potius Rex ille, & Dominus, & Deus est, quod plane thronus ille testificat, qui principatus est, & imperii argumentum." Hæc Theophylactus. Accedit ad hæc quod dicitur apud Jannem, cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Aut ergo Angeli

los